Cracoviensis Studii Univ. Jagell.
Promotiones Ordinis Philos.
1725 25 octobr.

Krokowski Petri Hyacinthi: Armamentarium Palladis Jagelonicae victoribus in philosophico certamine athletis X. VV. DD. primae laureae Candidatis praesentatum.

ARMAMENTARIVM
PALLADIS IAGELONICÆ

Victoribus in Philosophico certamine Athletis,
X. VV. D.D. PRIMÆ LAVREÆ
CANDIDATIS,
DVM
In Alma Vniversitate Cracoviensi
PER
Clarissimum & Excellentissimum Dominum,

D. M. ADALBERTVM ANTONIVM MICINSKI,

Philosophiæ DOCTOREM & Professorem, Collegam Minorem, Contubernij Hierosolymitani
SENIOREM,
Præsente Magnorum Hospitum Coronâ,
AA. LL. & Philosophiæ BACCALAUREI
Ritu Solenni crearentur;
A
PETRO HYACINTHO KROKOWSKI,
Ejusdem Laureæ Candidato,
Metrô & Calamô Gratulatoriô

PRÆSENTATVM.

Annô Domini 1725. Die 25. 8bris.

Typis Collegij Majoris, Universitatis Cracov:

In Stemma
ILLUSTRISSIMI & EXCELLENTISSIMI
DOMINI.



FASCIA, quam ſpectas, adeò conſtricta videtur,
Ut nullum ferrum ſolvere poſſit eam.
In Sphæræ normam quòd ſit formata rotundam,
Æternis ſeclis cuncta parare docet.
Omnes in Regno Faſces devinxit honorum,
Vinciat ut tandem proſpera quæq; Poli.

ILLVSTRISSIMO & EXCELLENTISSIMO DOMINO, D. JOANNI DE MALACHOWICE MAŁACHOWSKI,

COMITI in Moſzczenice, Rękoray & Konskie, PRÆFECTO OPOCZNENSI, Ad Comitia Regni Generalia ex Palatinatu Sandomirienſi LEGATO &c. &c.

Domino Mecænati Ampliſſimo.

MAvortia non arma cano; nec Steropum malleis fabricatos divulgo enſes, pacata potiùs Muſarum certamina narro ſine ſtrepitu magno Tuo Nomini militantia. ILLVSTRISSIME DOMINE. *Undiq; etenim triumphorum ac victoriarum gloria circumfuſus* ILLVSTRISSIMÆ DOMVS *Tuæ ambitus, adventitias non admittit copias, ſatis ex ſe tutus, ipſe terror adverſorum. Mille hic propendent Clypei, in quibus domitus Oriens, defenſus Occidens, auctus laureis Septemtrio annotatur. Si devictas in-*

 quiro

quiro Gentes, gemit sub MAŁACHOVIANÆ *DOMUS pondere Otthomannus, Briarijq; instar, aut Enceladi glacialis Accola Maris & Balticæ proximus Undæ Gothus spirat sui ignominiam. Quippe assveta hostium Cladibus Polonia & suorum, quibus floret seculorum tractu numerandis intenta triumphis in partem tantæ gloriæ coævam sibi DOMUM provocat, provocatamq; victricibus coronat laureis. Quæ vix ad summum immortalis famæ & celeberrimi per Orbem Nominis devenisset fastigium, ni Heroes inde defendendæ Patriæ natos, promovendæ paratissimos derivâsset. Non jactet jam Trojanum Græcia Eqvum iniqvè ad delendam florentissimam Urbem dolosa industria deductum. Unde cùm prædatrix potiùs, quàm victrix prodijsset Virorum phalanx, in flammas abire fecit, quidquid illustre præclarumq; adinvenit. Alia longè indoles* MAŁACHOVIANÆ *semper extitit fortitudinis, cui dum non unam Carthaginem deletam æmula Romanæ Polona Libertas debet, aureos ibi perennaturæ famæ legit characteres, ubi illa ferreum stylum explicavit. Ad summos Aborigenes, primaq; Illustrissima Capita non ascendo; nam idem gradus esset, qui Phaetonteo ausui ruendi in præceps detestandum. Sisto in ILLUSTRISSIMO* NICOLAO. CASTELLANO ROSPIRIENSI *Abavo Tuo ILLUSTRISSIME* CAPITANEE. *Vir hic robur Patriæ, consiliorum nervus, publicæ incolumitatis salus, toties pro communi omnium stetit bono, quoties id securitatem & tutelam exposcebat. Non absimile heroæ virtutis decus enituit in ILLUSTRISSIMO* FRANCISCO MAŁACHOWSKI, CASTELLANO SIRADIENSI, *ad cujus conspectum Otthomannica Luna mutare faciem, rubere, pallereq; visa; cùm sydus Barbaris infestum, Civibus salutare Zodiacum percurrit triumphorum. attigit eandem Majorum gloriam, imò sua præcessit activitate ILLUSTRISSIMUS* PARENS TVVS, PALATINVS POSNANIENSIS. *Ad Palatinam Dignitatem patenti meritorum itinere deveniens, quidquid fortissimum, Castris, quidquid prudentissimum*

intu-

intulit Consilijs. Ab uno ejusdem vultu & Martius erumpebat in hostes terror & amor erga Cives prominebat. Documento est Solennissima ad Portam Ottomannicam Legatio huic commissa Senatori, qui vel ipso dicendi pondere mobiles ad bella animos valuisset superare. Pax & triumphi, licet nunquam uno coalescant nexu, hic tamen ita pro stabilienda pace egit, ut si Asiaticæ Genti non placeret qvies, bellica obtulisset certamina, Sarmaticis certò triumphis terminanda. Provocat in adorationem sui pronum poplitem Præsuleum Nomen CELSISSIMI OLIM ILLUSTRISSIMI & REVERENDISSIMI, IOANNIS MAŁACHOWSKI, EPISCOPI CRACOVIENSIS, DVCIS SEVERIÆ. Quis non coleret ad Divûm Aras Sanctum, ad Senatorios Conventus prudentem, in erigenda Templa liberalem? Reliquit gratiarum suarum IOANNES monumenta, in quibus nunquam moriturum Nomen MAŁACHOVIANÆ exaratum famæ legendum imminentibus seculis proponetur. In ILLUSTRISSIMO olim ADAMO MAŁACHOWSKI, CASTELLANO INOWłODENSI, quas virtutes anteacta vidêre tempora, quas dotes Curulibus, prætextisq; dignissimas coluêre, pares præsentia in ILLUSTRI ac MAGNIFICO ADAMO MAŁACHOWSKI, CASTELLANIDA INOWłODENSI, non degenere à virtutibus Paternis Filio ad magnas honorum spes promovent. Inferunt sese in augustum illustris gloriæ amphitheatrum tot alia ILLUSTRISSIMORUM MAŁACHOVIORVM Nomina, non tantum Domesticis Fascijs, sed Patrijs externisq; Fastis annotanda. ILLUSTRIS ac MAGNIFICUS IOANNES, PINCERNA WIELVNENSIS omnimodam æstimationem, NICOLAUS SUBDAPIFER VENDENSIS, plusquam aureum sui pretium gemmeo meritorum censu vindicârunt. ILLUSTRISSIMVS ANDREAS CAPITANEUS SMOTRICENSIS ILLUSTRISSIMÆ DOMVS ornamentum, egregiarum compendium virtutum in eam processit augem, unde maximis par refulgeret honoribus. Hæc sunt MAŁACHOVIANÆ auctoramen-

ta gloriæ in Tuum ILLVSTRISSIME CAPITANEE *relucentia plausum, quæ si cum* CELSISSIMIS LVBOMIRIIS S. R. *Imperij Principibus conjunxeris, jam cernis Principum Mitras, Regum, Cæsarumq; Coronas in Tuæ gloriæ confiniis per Affinitates conjunctas apparere. Ab augusto Romanorum* DRVSSORVM *Fonte profluens* SRZENIAVA, *plusquam Gangeticas Tibi vehit opes, omnibus honorum insignibus Tibi commendatas. Plus tamen decurrenti per Regum solia ac Oceanum involventi gloriæ* CELSISSIMO FLVMINI *debes, quòd ab alto illius in unionem* MAŁACHOVIANÆ LVBOMIRIÆq; *Familiæ gemma emerserit* ILLVSTRISSIMA ANNA PALATINA POSNANIENSIS, ŁUKOVIENSIS, KRZECZOVIENSIS, CAPITANEA, *Parens Tua. Cujus mentis candor è medijs vel ideo probatur* SRZENIAVÆ *laticibus, quòd semper niteat illibatus. Profundus erga Superos cultus, effusa in egenos liberalitas,* SRZENIAVIANÆ *sunt aptitudinis argumenta. Dotibus Illa animi cùm suum prætergressa sit Sexum adhuc Grachorum adinstar Matris, Te Filium pretiosissima existimat æstimatq; cimelia. Qualis etenim futurus erat vitæ Tuæ meridies, aurora infantiæ monstravit. Adhuc alumno gestabaris gremio, & jam gravi supercilio Cato levitati minabaris. Necdum infantiles excessisti annos, jam svavitate verborum Plato, sensuum oraculis Delphicum Numen cunctorum animis Te exhibuisti. Adhuc Rhetorica non calluisti præcepta, jam de virtute in virtutem optimam gradationem instituere scivisti, ætatem animo præcedente. In aurea ætate Tua literis dicata tantum pretium conquisivisti, hanc æstimationem ad exteros soles, quos spectasti, es promeritus, ut à Principibus Viris honorem, ab omnibus cultum haberes singularem. Et non mirum est: etenim profunditas Tui judicij, prudentia ipsis maturior annis, senum ætati par morum gravitas, hanc ab exteris promeruit æstimationem. Tantis talibusq; dotibus illustrem cùm Te exteri viderint Principes, in Tuarum Virtutum encomijs totius Poloniæ laudes incluserunt. Redux tandem post plurium an-*

norum

norum recurſum in Patriam, poſt emenſa tot Regionum ſpatia, poſt continuum animi & corporis motum, abſentiam Tuam præſentiſſimis meritorum Tuorum comparâſti documentis. Illico namq; ex Ducatibus Oſwiecimenſi & Zatorienſi Iudex ad Tribunal Regni Deputatus, Polonæ Themidis oracula adeò vulgâſti fideliter, ut juſti defenſor, iniqui oppugnator ſtrenuiſsimus dici merereris. Iudicium Tuum quis functionis Tuæ tempore non probavit, cùm Te Pupilli pro domo ſua facundiorem Tulliô, Egentiores libaraliorem Tytô ſint experti. Lacrymis illi pro ſe, Tu pro illis voce certâſti, horum ne caderet cauſa, eam ſubſidijs munificentiæ Tuæ erigebas. Evocârunt Te mox liberæ Palatinatûs Sandomirienſis voces ad Generalia Regni Comitia Legatum, ubi ad illarum ſtetiſti votum: exactè abſolutis Tuis officijs probans, quantum bono proderis publico, dum Te Patria in dies ad majora provocabit. Erexiſti adeò his meritorum præludijs affines Familias in optimas ſuccreſcendi ſpes, ut DVCVM de OSTROG & ZBARAZ clariùs ſplenderent CYNTHIÆ, DANILOWICIANA ſereniùs niterent SIDERA; SAPIEHARVM, MICIELSCIORVM SAGITTÆ *in ſuæ puncto conſiſterent felicitatis,* HERBVRTORVM, PRZEREMBSCIORVM *fulgerent* ENSES, POTOCCIORVM CRVCES, *in immortalia non perituræ famæ trophæa commutarentur, ad aureũ Libertatis vellus ſtrenuè excubantes* BYKOWSCIORVM *cernerentur GRYPHES. ILLVSTRISSIMÆ verò* LIGĘZARUM, DONHOFFIORUM, ROZRAZEWSCIORUM, JORDANORUM, WIELOPOLSCIORUM, ZLOTNICCIORUM, LANCKORONSCIORUM, MICHALOWSCIORUM, CZERNIORUM, BELZECCIORUM, SIEMIENSCIORUM, NIELEPCIORUM, TUSZYNSCIORUM, WARSZYCCIORUM, GRODZINSCIORUM, DAMBROWSCIORUM *totiusq;*

usq; Orbis Poloni Familiæ de Te sua cernunt omina miranturq; coronata. His magnarum Familiarum Armis undiq; circumdatus, non video, quòd debeas imbellium Musarum suscipere Armamentarium, sed protegentis vice suscipe, ut sub MAŁACHOVIANI *Nominis labaro Palladiana militans Cohors, quos merebitur triumphos, non sibi, sed Tuo adscribat patrocinio. Sufficiet illi unus Tuæ FASCIÆ nexus, quo ligatis adversorum impetibus, cunctas sibi victorias obligabit. Quare pande Illustrißimæ Teniæ decus, certam triumphandi spem: ita non literario Armamentario, quàm sub signo gratiarum Victor cedam in perpetuum Nominis Illustrissimi obsequium.*

ILLVSTRISSIMÆ & EXCELLENTISSIMÆ
DOMINATIONIS VESTRÆ

Servus humillimus & Cliens

PETRUS KROKOWSKI
Author Operis.

FORTISSIMO
LAUREARUM ACADEMICARUM
T U T O R I,
D. J O A N N I
C A N T I O,
Regni Poloniæ & Universitatis Crac:
P A T R O N O.
ODE VOTIVA.

HOstium terror subitò recedat
Cardines extra borealis Orbis,
Quando speratur superis ab Astris
Dulce juvamen.

Nil potest pro tunc inimicus ardor,
Ferveat quamvis nimios in æstus;
Impetus omnes redeunt in illum,
Quos struit Author.

Dura quantumvis hebetantur arma,
Nec venenatæ feriunt sagittæ,
Quem manus Divûm juvat & tuetur
Hostis ab ense.

Bellà molliri cupiat Britannus,
Evibret Byston gladios, eorum
Luce percussus properabit ultra
Limina mundi.

Sic enim Divûm timuêre dextram
Vidimus Gentes, quæ inimica tollunt
Arma contra nos, ſiquidem juvamur
Numine ab alto.
Primus en Nobis Pater & Patronus,
Orbis Arctoi Cynoſura fulgens
CANTIUS præſto eſt nocitura quævis
Bella domando.
Hoſtium motus quatiat Poloni
Orbis anfractus, clypeata totis
Agmina in Campis ſtatuantur, illa
CANTIUS arcet.
Ardeat flammis Oriens coruſcis,
Beſſus & Thraces vocitent ad arma
Sarmatas, illis tribuet IOANNES
Signa triumphi.
Palladis quare ſtetimus theatro
Hoſtis ignavi domituri acerba
Tela, Tu nobis Coryphæus eſto
Dive Patrone.
Ianuâm doctæ reſera Minervæ,
Dux in arcanis præeas Sophorum,
Laureæ noſtræ benedic, precamur
Corde profundo.
Fiet hoc quando Pater Alme CANTI,
Ad Tuos ſacros cineres Clientes
Fundemus votum, precibus Polorum
Tecta premendo.

CLARISSIMIS & EXCELLENTISSIMIS DOMINIS

DD. EXAMINATORIBUS.

Clarissimo ac Excellentissimo Domino,

D. M. ADALBERTO MICINSKI,

Philosophiæ Doctori, & Professori, Collegæ Minori, Contubernij Hierosolymitani Seniori, ac interea Philosophicæ Facultatis DECANO.

Clarissimo ac Excellentissimo Domino,

D. M. PETRO SZYMAKOWSKI,

Philosophiæ Doctori Regio Professori, Collegæ Majori.

Clarissimo ac Excellentissimo Domino,

D. M. IOANNI CHRYSOSTOMO TORTOWSKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Minori, ibidemq; Ordinario Pöeseos Professori.

In Argumentũ debitæ venerationis & gratitudinis

GRATIÆ IMMORTALES.

QUæ penna vestram laudibus inclytis
Sub astra possit tollere gloriam?
Qvis aureos virtutis actus
Ore suo resonabit Orbi?
Vos non Apollo, non Thamyræ Lyra,
Non gratiosum pecten Arionis,
Non Orphei fides valebit
Pierijs celebrare plectris.

 Fera

Feras Philammon, ſaxa ſed Orpheus,
Amphion altas impulit arbores
Saltus ad aptos, non tamen Vos
Eloquio reſonare poſſent.

Quàm celſa Veſtrûm ſplendet honoribus
Regnatq́ virtus, quàm ſapientia
Refulget in Vobis, ut illam
Nec Pericles ſatis explicâſſet.

Virtute quanta Regno Academico
Fulgetis annis pluribus, edocent
Ipſæ Cathedræ, doctiores
Qvas Patriæ patuiſtis eſſe.

Vobis Apollo munera gemmea
Parat, Camænæ facta perennibus
Faſtis reponunt, atq́; laudes
Incipiunt memorare Veſtras.

Primus, ſacrati gloria Apollinis,
Adeſt DECANI murice fulgidus,
Qui ſemper eſt inter Sophorum
Congeriem Cynoſura fulgens,

Hunc ſumma virtus, Hunc probitas ſua
Ad alta tollit culmina gloriæ,
Hunc Muſa cunctis gratioſa
Ingeniô beat eruditô.

Illius almas carmine debito
Referre dotes, eſt opus arduum,
Silere ſed laudes peramplas
Maxima laus ſeritur per Orbem.

Ergo palato apponere dexteram
Decet, nec amplas laudis adoreas,
Qui-

Quibus MICINSKI ſat refulget,
Convenit enumerare metro.

Te SZYMAKOWSKI quo referet tono,
Frontemq; cinget Cynthius, Hyblave;
Dum fama Te dicat, novenna
Turba canit potiore plectro.

Qvamvis Apollo Te citharâ ſuâ
Vulgâſſet Orbi, ſed ſibi vendicat
Te Muſa Novodvorſciana
Ingenij gravitate notum.

O qvàm ſecundos nôſſe favonios
Claſſes fatentur, vellus ad aureum
Has quando duxiſti Profeſſor
Per ſcopulos ſolidi laboris.

Tandem ſtetiſti fauſtus in area
Docta Sophorum, denuo redditum
Cuncti Platonem Te ſtupebant,
Roſtra ſuum Periclem probârunt.

Tu gratioſas cum Cinea roſas
Ab ore profers, Neſtora gemmeo
Sermone vincis, ut perenne
Et decus & pretium reportes.

Favent & omnes pectore candido
Tibi Camænæ vir meritiſſime
TORTOWSKI & amplũ Te per Orbem
Fama vehit citiore penna

Dotes probatas narrat Athæneum
Illuſtre Craci, ſcripta renuntiant

C No-

Nomen per oras, quæ dicâsti
Principibus Lechicis Pericles.

Stagyra plaufus dat Tibî Nobiles,
Jovis cerebro proveniens Dea
Suum JOANNEM gratiosa
Ingenio celebrat sagaci

Tibi sonorum carmen Apollinis
Ab ore prodit, Virgilium metro
Aequare poscis, quod probatur
Pluribus eximijs opellis.

Majora longè munera gloriæ
Viri meretis, sæcula quæ dabunt.
Nos impares eis Pòëtæ
Obsequijs redimemus illa.

Ergo coronet dextera Numinis
Alti favores, divite quos manu
Fudistis in Nos, pro quibus nunc
Vota damus pia corde Vobis.

Annos seniles vivite, serviat
Fortuna Vobis, floreat omnium
Honos coronatus, suprema,
Quam meruit, potiatur auge.

Adversa nunquam nôsse pericula
Sciatis, ut Vos Orbe benignior
Fortuna gestet, hoc precamur
Pectore veriloqui clientes.

ARMA-

ARMAMENTARIVM
PALLADIS IAGELONICÆ
Victoribus in Philosophico certamine Athletis
PRÆSENTATUM.

II. V.D. ANTONIO ZWAN,
Galea, quâ armata ex cerebro Jovis prodijt Pallas
CUM LEMMATE
Ut cætera servet.

MAjorum jactare Genus virtute coruscum,
Est non postremum dexteritatis opus.
Pulchrum quippe puto præclarum Nomen Avorũ,
Pulchrius ast illud, quod probitate venit.
Hoc felix remanes ANTONI Palladis Orbe,
Quod potior cunctis semper utrumq; geras.
Sat multum splendoris habes ex dotibus almis.
Verùm plus addit clara propago Tibi.
Hac de stirpe Tuæ ducis primordia vitæ,
Qvâ prodire Polo tot meruêre Viri.
Ad numerum revocare volens hos, stricta pagella
Parva foret, Fastis esse necesse puto.
Ergo libens taceo: magnum sed Nomen Avorum
Interna solùm mente Pöeta colo,
Tu vigeas felix veniens ab origine tanta
Sors adversa Tibi nulla nocere queat.
Palladis en Galeam referas, *ut cætera servet.*
Membra, sub hac tutus noxia cuncta domes.

III. V.D. THADÆO SMOLIKIEWICZ, Crac:
Securis, cujus ab ictu ex Capite Jovis prognata fuit.
CUM LEMMATE,
Struet una Colossum.

MAgnanimos Heroas, in arma parata Virorum
Pectora, quòd nunquam Cyclopea tela repellant

Ex acie Martis, non eſt mirabile factum.
Fortis enim quoties adverſis ſponte periclis.
Vexatur, toties ſtimulatur ad ardua quævis.
Claviger in cunis heros jam deprimit angves,
Mille viri Spartæ non terrent Xerxis ocellos.
Te SMOLIKIEWICZ haud ignorantia magnus
Ingenijs hoſtis, poterat confundere quondam.
Strenuus hunc contra quot tantùm bella movebas,
Tot ſemper palmas meruiſti ferre triumphi.
Indolis egregiæ ſpecimen dignoſcitur in Te,
Nil eſt quod tandem poſſit reprehendere quiſquam.
Dotibus his clarus ſaturnia ſecula vincas,
Adverſæ ſortis nunquam experiare flagellum.
A me Palladiam referas, quam dono, ſecurim,
Hæc Tibi pro multis laudum *ſtruet una Coloſſum.*

IV. V.D. JOSEPHO DEKŁOS,

Affixa Galeæ Ala, quâ inſtructa promptior in hoſtem ivit.

CUM LEMMATE,

Serpere neſcit.

ORnatum Galeæ jactet Romana vetuſtas,
Novimus haud illum Palladis eſſe parem.
Cygnorum pennis Galeas ornâſſe Quirinos,
Credimus, aſt famæ Pallas amica gerit.
Has Tibi pro meritis ſtatui donare IOSEPHE,
Gloria namq; Tui *ſerpere neſcit* humi.
Creſcis ad annorum ſeriem virtute decorus,
Ex poſt ut meſſem laudis habere queas.
Te celebrem perhibet, quam curas, ſvada Periclis,
Omnimodè ſed vult Te eſſe Stagyra ſuum.
Te ſtudium ſolerſq; labor commendat abundè,
In quo perſiſtens Carmine dignus eris.
Te pietas ornat Cælo gratiſſima virtus,
Extollit candor, non ne ſecundus ades?

Innuo

Innuo, non narro tantùm præconia laudum,
Iſta labore Tibi plura parare potes.
Ergo ſilere decet, referendo hoc pectore votum
Vt felix vivas Palladis Orbe diu.

V. V.D. JACOBO SUROWIECKI,

Currus militaris à Pallade excogitatus
CUM LEMMATE
Hæc ſunt ſigna triumphi.

PRiſca Gens bellum quoties paravit,
Falcibus currus gravidos in hoſtes
Obvios vexit toties, eorum
Colla metendo.
Tu SVROWIECKI clypeata tentas,
Hoſtis ignavi ſuperare Caſtra,
Palladis Curru ſedeas, & illa
Omnia vinces.
Non minax enſis, nec acuta doctos
Tela Victores faciunt, ſed arma
Palladis, tuti quibus efferata
Prælia frangunt.
Tale munimen placuit IACOBO,
Quo potens denſas acie cohortes
Militum vicit, meruit ſuperbæ
Præmia laudis.
Ergo Victorem veneror, Minervæ
Dans ei Currum, ſpatioſo ut Orbe
Omnibus clarè mea dicat: *hæc ſunt
Signa triumphi.*

VI. V.D. ANTONIO KLECZKOWSKI,

Lorica à Gradivi fulmine pectus muniens.

CUM LEMMATE

Armat & ornat.

PRocul Gradivi cedite fulmina,
Exeste glandes Martia pectora
Eviscerantes, est quietus,
Quem ære rigens rutilans & auro
Lorica munit. Tela movet sua
Infensus hostis mentibus omnium
Te contra KLECZKOWSKI, Minervæ
Arma leves, perimas ut illum.
Illata virtus omnibus est Tua,
Quâ, gloriosè Palladis areâ
Certando, fulges, promereris,
Ut solitam referas coronam.
Genus Parentum Nobile Te decet,
Sed non minorem juncta modestia
Integritati addit decorem
Et celebrem facit orbe docto.
Ergo secundus cuncta perardua
Vincas & à me munera Pallados
Assume, Loricam, ista namque
Armat & ornat inerme pectus.

VII.. V.D. ALBERTO OLKUSKI,

Hasta, quâ in Campo sapientiæ mentium hostem profligat.

CUM LEMMATE,

Ferienda ferit.

IN Cineres resoluta suos, tenuemq; favillam
Urbs Trojana manet, Regum sed facta vigebunt.
Hi quoties hominum in frontem prodire solebant,
Sufful-

Suffulti toties haſtis criſpantibus omnes
Cernebantur, eos magnâ comitante catervâ.
OLKUSKI medios in campos Palladis almæ
Prodis, horribiles victurus mentibus hoſtes.
Hæc Tibi magnanimas vires haſtamq; miniſtrat,
Protinus ut validos quamvis, devincere poſſis.
Hon paveas acies denſas, rigidosq; mucrones
Non tormenta, globos ferientes corda Virorum;
Cùm manibus teneas haſtam Tibi forte relatam,
Qvæ *ferienda ferit*, neq; perplacet hoſtibus ullis.
Ergo bella geri valeas habitura triumphos,
Dum Tibi ſpondet opem non parvam ferre Minerva,
Devinces hoſtem, ſupremos fauſtus honores
Scandes, quos meruit virtus, meruêre labores.

VIII. V. D. ANTONIO WATROPSKI,

Scutum inſigni opera Phidiæ elaboratum & Palladi oblatum

CUM LEMMATE

Ab hoc tutela decusque.

MOribus, imperio, tectis & lege carentes
Getuli pueros infantes veſte parata
Ex clypeis ornent, res certè magna videtur.
Quot clypeos etenim ſpectans numeravit ocellus,
Hac de ſtirpe Viros, tot ſiſtere vidit in Orbe.
Palladis in Regno quotquot naſcuntur Alumni,
Induit hos ſubitò ſcutatis veſtibus omnes.
Hac Te WATROPSKI Iagelonica Pallas inermem
Sorte beat, cùm ſcuta Tibi ſecura miniſtrat.
Egregias novit dotes, virtute coruſcum
Vidit & ad quævis ſubeunda duella paratum
Invenit, quæ docta cohors aſſueta movere,
Te gravitas morum, Te mens matura perornat,
Addit & ornatum pietas virtusq; modeſta
Majorem, ſtudij fervor commendat alacris.

Quare Palladio renitens his dotibus Orbe
Faustus vive diu, tum scutum Palladis à me
Accipe, magna Tibi sit *ab hoc tutela decusque.*

IX. V. D. ANDREÆ MUSZYNSKI,

Vexillum, sub quo Milites Palladij existunt.

CUM LEMMATE

Audentes fortuna juvabit.

NOmen Alexandri spatioso claret in Orbe,
Gessit enim forti prælia multa manu.
Vexillum Princeps binis ornare columnis
Jussit, ut Herculeum lemma notaret eis.
Ivit plus ultra, donec devicerit Orbem,
Sic ejus dici terror adusque solet.
Laus nomenq; Tuū MUSZYNSKI ut clareat, illud
Vexillo inscripsit docta Minerva suo.
Verus Eques Musarum & Miles Apollinis exstas,
Ut studio semper, sic probitate nites.
Non gladio stricto, sed ea virtute triumphas
Hostiles turmas, quam Tibi Musa dedit.
Vestigijs optas germani insistere Fratris,
Intentum, voveo, prosperet ipse Deus.
Vexillum referas à me, quod Palladis esse
Noscas & sub eo fortia semper age.
Audendum est etenim, *audentes fortuna juvabit,*
Sæpius audaces io triumphe canunt.

X. V. D. MARTINO BROZYNSKI,

Medusæ terribile hostibus Caput in manibus Palladis existens.

CUM LEMMATE

Terret, ut vincat.

AD triumphales cupis ire plausus,
Laudis in centrum citiùs venire
Quisquis intendis, properes per arcta
Quæq; viarum.

Certius, non est iter ad perennem
Gloriam quàm quod solidi labores
Indicant: segnes animos honores
Sunt procul omnes,

Hinc Tibi longas series laborum
Ferre BROZYNSKI placuit, theatro
Laudis ut semper niteas, refulgens
Dotibus almis.

Bella cum mentis quoties gerebas
Hoste, victrices toties corymbos
Ferre svevisti, Tibi docta Pallas
Munera donat.

Quæris, hæc quæ sunt caput est Medusæ
Horridum visu satis, ergo; namque
Terret ut vincat, licet hor is ampli
Castra nociva.

I. V. D. PETRO KROKOWSKI,

Primæ Laureæ Candidato AUTHORI OPERIS

In vim mutui affectus & gratulatorij applausus,
ANTONIUS MICHAEL ZWAN,
Classicum, quo in Helicone Musas contra hostem Animorum Ignorantiam animat, offert
CUM LEMMATE.
Vires animumq; ministrat.

NOstras Aonio celebrasti carmine laudes,
KROKOWSKI, à Nobis mille referre meres.
Hunc etenim Te Musa colit, qvem prodidit Orbi
Illustris titulis clara propago Domûs.
Dotibus egregijs clares, virtute coruscas,


Certè nil in Te quod replicemus, adest.
Vix Te nobilior luci Lucina retexit,
Illico monstravit, postea qualis eris.
Non ætate magis, studiô quàm crescere nôesti
Morum, qvos in Te qvisq; videre potest.
Te gravitas ornat, concessa modestia paucis
Commendat, decorat, qui pudor ora subit.
Ingenij dotes quòd si quis spectet avitas,
Hæ sibi corde Tuo promeruêre locum,
Est Tibi facundæ svauissima gratiâ lingvæ,
Maturumq; simul mentis acumen adest.
Omnia sunt in Te KROKOWSKI, munera laudum,
Quas Nobis cecinit carmine Musa Tua.
Ergo Sauromatas superet Tua fama superstes,
Auribus attonitis audiat Orbis eam.
Classicum ovale Tibi tribuit galeata Minerva,
Hostes illius vincere voce scias.
Istud crede mihi *vires animumq; ministrat*,
Hostes adversus, quando nocere volunt.
Hoc animatus ovans nocituro mentibus hosti
Obsis, atq; ab eo magna trophæa feras.

Eidem Authori Operis
V.D. PETRO KROKOWSKI,
IOSEPHUS ANTONIUS DEKŁOS,
Lyrico Carmine applaudit.

ASsurge plaudens Carminis entheo
Apollo pulsa dulcisonam Chelym.
Plaudatis & vos ô Camœnæ!
Cum citharis comitando Phæbum.
Excelsa Pindi culmina linquite,
Huc ferte gressum perspicui Viri
Laudes ad astra transferendo
Unanimi fidium tenore.

Dic

Dic ſama quæſo! dic bene poſcimus!
Quis celſa ſcandit culmina gloriæ?
Magnus KROKOWSKI, qui ſonoras
Promeruit retinere laudes.
Excelſa virtus & ſapientia
Non imbecillis, quâ Iagelonico
In Orbe claret, repoſcit,
Ut meritam referat coronam.
Hunc ſvada Tulli, tum pietas decet,
Modeſta virtus omnibus exhibet
Nobis colendum, quem & Paternum
Orbe facit renitere Nomen.
In cujus amplas laudis adoreas
Pòëta velox cùm volo ſurgere,
Vires ad hoc munus ſupremum
Sentio me minimas habere.
Ergo Camœnæ plaudite plaudite,
Ego ſilebo! Phæbe perarduis
Deſcende collibus KROKOWSKI
Plecte roſis citiùs coronam.
Sub qua ſerenos enumeret dies
Multos in annos, vivat honoribus;
Quos magna virtus, quos labores
Et celebres meruêre dotes.



Sub Felicissimo Regimine

Magnifici, Perillustris & Reverendissimi Domini,

D. M. JOANNIS LUKINI,

U. J. DOCTORIS & PROFESSORIS, Ecclesiarum ; Cathedralis Crac: CANONICI, Collegiatarum Vislicien sis & SS. OO. Crac: Primicerij, Slawkoviensis PRÆPOSITI, Contuberniorũ, Regio-Jageloniani & Jurisperitorum PROVISORIS, Studij Almæ Universitatis Cracoviensis Generalis ac Vigilantissimi

RECTORIS.